

qui luculenter demonstrant, easdem causas ac requisita ingredi
Justificationis pariter atque æternæ Beatitudinis negotium. Vid.
F. C. p. 695. ed. Lips. & è Doctoribus Ecclesiæ plurimis D. Danb. Ho-
dof. Phæn. XI. p. 1399. 1404. B. Hülsem. Brev. C. XVI. Th. V. p. 445. Ca-
lixin. Gew. B. à n. 79. ad 83. D. Kromay. Theol. Pos. Pol. Art. XII. Th.
V. p. 700. Sive autem Evangelicas DEI de nostri Justificatione,
sive de æterna salvatione, promissiones spectes, nulla earum est
talis, quæ Conditionem legis aut operum ullo modo includat: sive
etiam habeatur hinc adulatorum ratio, & quibus deliberandi spaci-
um post conversionem superest, sive infantum aut eorum, qui
statim ac conversi sunt, decedunt; uti nonnulli hinc nodum in scir-
po quærent. Neque enim DEUS alium salvandi modum pro his,
alium pro illis instituit. *Vid. Hülsem. Calixtin. Gew. B. p. 493. 868. sq.*

§. 23. Jam sicuti, cum Opera verè bona non præcedant Justifi-
cationem, sed sequantur, manifestum est eadem non concurrere
ad illam consequendam, tanquam Conditionem seu Causam si-
ne quâ non: (ecquis enim indurationem luti Causam sine quâ non
caloris in Sole dicere auderet?) ita nec eadem illa opera necessa-
ria possunt dici ad salutem obtinendam per modum Conditionis
seu Causæ sine quâ non, cum quando justificati sumus, beatitu-
dinem jam obtinuerimus, licet non eo gradu, eaque constantiâ,
quâ olim eandem possidebimus in patriâ. Sicut qui hæreditate
potitus, quæ adversus injustos invasores adhuc sit vindicanda, u-
tatur præfidiis ex hæreditate acceptis, immeritò hæc causæ, sine
quâ impetrari non potuisset hæreditas, nomine dignabitur.

§. 24. Neque verò hæc ratione obtineri potest saltem, quòd
Bona Opera necessaria sint tanquam Conditio ad salutem conservan-
dam. Eandem enim rationem, quæ est salutis acqvirendæ, esse
quoque conservandæ, ex sacra pagina invictè probant Theolo-
gi. *F. C. p. 590. B. Danb. Hodof. Pb. IX. p. 960. quo etiam tacere*
videtur B. Hülsem. Brev. C. XI. Suppl. Th. X. p. m. 264.

§. 25. Et quanquam Mala quidem Opera fidem destruunt,
hominemque gratiæ atque salutis statu omninò dejiciunt: exinde
tamen neutiquam sequitur, quòd Bona Opera faciant vel ad con-
secutionem vel saltem conservationem salutis. Consequentia e-
nim hæc vel mille instantiis potest infringi, quas vid. ap. *B. Danb-*
Hodof. l. c. p. 962. B. Hülsem. Gew. B. p. 813. seqq. it. p. 404, 664.

B

qui